



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De opere secundæ diei, qua factum est firmamentum. A. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

stat opificem genuisse. Si enim causa ei⁹ pater est, secundum quod pater est, multo amplius eorum causa est, quæ per filium facta sunt. Hæc de opere primæ diei dicta sunt.

DE OPERE SECUNDÆ DIEI, QVA
factum est firmamentum.

DISTINCT. XIV. A

Dixit quoque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum: & dividat aquas ab aquis. Diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Sciendum est quod illius cæli describitur hic creatio sicut ait Beda super Gen in quo fixa sunt sydera: cui suppositæ sunt aque in aere & in terrâ, & superpositæ aliæ de quibus dicitur: Qui tegis aquis superiora eius, in medio ergo firmamentum est, id est, sydereum cælum, quod de aquis factum esse credi potest. Crystallinus enim lapis cui magna est firmitas & perspicuitas, de aquis fact⁹ est, Si quæ verò mouet, quomodo aquæ naturæ fluidæ & in ima labiles, super cælum possint consistere: de Deo scriptum esse meminerit, Qui ligat aquas in nubibus suis. Qui enim infra cælum ligat aquas ad tēpus vaporibus nubium retentâs, potest etiam super cæli spheram nō vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate aquas suspendere ne labantur. Quales autē & ad quid conditæ sint, ipse nouit qui condidit. Ecce ostensum est his verbis, quod cælum factum sit, scilicet, illud in quo sunt fixa sydera, id est, quod excedit aerem, & de qua materia, scilicet, de aquis, & quales sint aquæ, quæ super illud cælum sunt, scilicet, vt glacies è soliditate.

Alii putant cælum illud esse igneæ naturæ, quibus consentit Augustinus.

B Quidam vero cælum, quod excedit aeris spatia, igneæ naturæ dicunt, assidentes super aerem purū ignem

*Beda & gl.
ordinaria
ad id Gen.
I. Fiat firmamentum*

*Aug. super
Gen. ad li-
teram ls. 2.
ad medium
ca. 3.
Ibid. cap. 4.*

ignem esse, qui dicitur esse cælum: de quo igne sy-
dera & luminaria facta esse coniectant: quibus Au-
gustinus consentire videtur. Vtrum vero nomine
firmamenti cælum, quod excedit aerem, an ipse
aer hic intelligatur, idem Aug. quærit. nec soluit.
Magis tamen approbare videtur, cælum illud hic
accipi, quod spatia aeris excedit. Aquas autē quæ
super illud cælum sūt, dicit vaporaliter trahi, & le-
uissimis suspendi guttis. Sicut aer iste nubilosus
exhalatione terræ aquas vaporaliter trahit, & po-
subtiles minutias suspendit, & post corpulentius
conglobatas, pluuias refundit. Si ergo potest
aqua, sicut videmus, ad tantas minutias p̄uenire,
ut feratur vaporaliter super aerem aquis natu-
raliter leuiorem: cur nō credamus etiam super il-
lud leuius cælum minoribus guttis & leuiori-
bus emanare vaporibus: sed quoquo modo ibi
sint, ibi esse non dubitamus.

*Aug. lib. 2.
de Gen. ad
literā c. 9
non longe à
princip. Et
gl. ordina-
ria ad hoc.
Et factum
est vespere
Et men. di-
es 1. Gen. 1.*

Quæ sit figura firmamenti.

Quæri etiam solet, cuius figuræ sit cælum? Sed
spiritus sanctus, quanuis auctores nostri sciuerint:
per eos dicere noluit, nisi quod pro fit saluti. Quæ-
ritur etiam, si stet, an moueatur cælum? Si moue-
tur inquit, quomodo est firmamentum? Si stat,
quomodo in ea fixa sydera circueunt? Sed firma-
mentum dici potest, nō propter stationem, sed propter
firmitatem vel terminum aquarum intrāgressibilem. Si
autem stat, nihil impedit moueri & circuire sydera.

*Quare tacuit scriptura de opere secundæ diei,
quod in aliis dixit?*

Post hoc quæri solet, quare hic non est dictum,
sicut in aliorum dierum operibus: Vidit Deus quod
esset bonum? Sacramentum aliquod hic comen-
datur. Ideo enim fortassis non est dictum, quod
tamen sicut in aliis factum est: quia binarius prin-
cipium alteritatis est, & signum diuisionis.

De